



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Epitome Annalivm Trevirensium**

**Masen, Jacob**

**Augustae Trevirorum, 1676**

Epistola Dedicatoria Ad Reverendissimum & Celsissimum Principem Joem  
Hugonem Episcopum Spirensem Et ... Caroli Caspari Archiepiscopi  
Trevirensis ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12542**

# EPISTOLA DEDICATORIA

A D

*Reverendissimum & Celsissimum Principem*

**JOEM HUGONEM**  
**EPISCOPUM SPIRENSE**  
**ET S. R. I. PRINCIPEM,**

*Eminentissimi & Reverendissimi Principis*

**CAROLI CASPARI**  
**ARCHIEPISCOPI TREVIRENSIS**  
**ET S. R. IMP. ELECTORIS AC PER**  
**GALLIAM ET REGNUM ARELATENSE**  
Archicancellarii, Administratoris Prümiensis  
Perpetui &c.

## COADJUTOREM.

*Reverendissime & Celsissime Präful ac  
Princeps.*

**D**icere illius ad Celsitudinem Tuam Historiae Epitomen bonis deferri auspicijs, cuius jam dudum exspectati Annales Eminentissimi Archiepiscopi atque Electoris Caroli favore nuper lucem adspexere. Idem sanguis studiumque propaganda religionis, ac pietatis auita ad alios me transire in hujus opella mea Dedicacione vetat. Notum est, quanto multorum per Europam desiderio res gestae Trevirorum, & antiquitate memoranda, & sanctitate celebres, fuerint exoptatae. Cœptus hic à pluri-

## D E D I C A T I O.

bis, dignissimus rep. Christianâ labor; sed vel mole vel etiam caligine rerum interceptus, usque ad hæc ultima hæsit secula Post veteres Archiepiscopos Balduinum & Cunonem, horum Annalium non otiosè cupidos, Ennenius deinde ac Kyriander, ille tenuiter admodum, hic etiam (ut fidem Deo Principique suo violârat) perversè res Trevirorum prosecutus est: donec tandem superiori avo ab Elzio, Schonebergio, Lotharioque Principibus Brovverus è Societate nostra, plurimum huc studij, ac postremum & ego laboris aliquid, per urgente inclyto Principe Avunculo Tuo contuli, atque in lucem, benevolentissimâ ipsius ope, & nunquam peritura apud gratam posteritatem memoriam, produxi. Neque enim minus, quam urbem novam Trevirensibus visus est condere, qui hoc egit, ut quidquid à tota antiquitate magnificentum, quidquid pium sanctumque, quidquid gloriosum in recordatione Majorum superfuit, hoc ab oblivione vindicatum, ad lucem conspectumque Nepotum, velut uno in theatro spectaculoque, propositum fit: ut quæ facta olim seculis diversis jam reproducta simul, nostra hac etate, literarum beneficio, videantur.

Sed cum vastior illa Annalium duobus in tomis moles sit ad præcipuas tantum Europæ Bibliothecas, literatorum transferenda; multis etiam è doctorum vulgo, aut pretium, aut tempus, aut fortasse ingenium ad prolixiora hæc scriptorum monumenta evolvenda, intelligendaque defit; plurimum tamen referet ea nosse, quæ olim vel perperam, vol rectè à Majoribus patrata sunt; ut ista declinare füga, hæc imitatione dignæ exprimere liceat. Nulla etiam cognitio honestior utiliorque rerum humanarum quemque daceat, quamque Proverum instituta prosequitur nosque

## DEDICATIO.

nosque in laudatissimis sanctissimisque Majorum vestigijs pedes docet collocare. quibus imprimis Treviri, ab ipsis Apostolorum temporibus ac discipulis ad orthodoxam fidem eruditii, nunquam degenerantibus posteris, gloriantur, necessarium multis visum est, ut majori compendio, magisque dilucido scribendi genere, praeclarissima quaque Trevirorum gesta prodirent; quo & gravioribus negotiis occupati, & tenuiori are instructi, & parciori eruditione tinetti, à laudabili hac rerum cognitione non excludantur. Cum dignissima veterum Trevirorum memoria sit, praesertim in sanctitate morum & nunquam abolito religiosis cultu posita, qua posteriorum animis insidet, suoque qua secularis, qua religiosa vita homines, exemplo stimulerunt ab illa Proavorum gloriam degeneres abeant, & ad lubricam vicinarum regionum libertatem devolvantur. Stat etiamnum apud Treviros priscæ gentis, & in pietate constantia, & in religionis constantia pietas: & quantum per belli injurias licuit Monasteria, Parthenones, Ecclesiæ, suis institutis, ornamentiisque hac etate, si non in dirutis muris, certè in præstantibus hominibus florent: nullo facilius consilio frenoque, quam Majorum imaginibus, in omni honestate morum eximiis, ad gloriam & imitationem propositis, in officio continendi. Cum enim admirabilis quadam suadendi vis in sit exemplis, tum eis præcipue, qua à parentum nostrorum recordatione derivantur, quod velut in cum natura hæc ad posteros virtus propagetur, & sua etiam consanguinitate pietas gaudeat.

Quatanto lubentius commemoro, quanto majorum tuam Celsitudinem ex Caroli Avunculi cura, ad perfectam Ecclesiastica vita normam directam formatamque intelligo: ut ex anteacta vita rationibus, cum Roma in

## DEDICATIO.

Pontificio tū Seminario, Spiræ Trevirisq; in nobili Canoni-  
corum ordine, nihil Tibi acceptius fore jūspicer; quam, ut  
Avunculo Teque Rectoribus, pristinus religionis morum-  
que Christianorum laudabilis in Majoribus vigor, ve-  
stris quoque annis auspiciisque, in diœcesi universa con-  
servetur. Augebis hoc decus exemplo vita hactenus incul-  
pata & eximio Ecclesiastica discipline studio, quā & sin-  
gularem à Nationibus exteris laudem ad tuos retulisti, &  
eandem, sedulo virtutum atque imprimis religionis stu-  
dio, prosecutus, à Tuis Trevirensibus Spirensibusque  
transfundis ad exteros. Et ita quidem versaris cum homi-  
nibus, ut præcipuo humanitatis, demissionisque excellas  
præconio; ita cum Deo ejusque Ecclesiâ, ut illustri pietati-  
ris & devotionis exemplo commenderis, sive Treviris ha-  
ctenus Choroepiscopi, sive Spiræ Decani atque nunc et-  
iam Principis munere præsederis, ut novum Historia Tre-  
verice ornamentum Te aliquando, spectatissimis post Ca-  
rolum moribus, allaturum confidamus. Neque meum il-  
lud, sed publicum Tuorum Collegarum testimonium fuit,  
qui conspirantibus Te nuper votis Adjutorem Successo-  
remque decessori (sita visum superis) Electori votis de-  
signarunt. Quorum deinde judicia secuti Spirenses, unum  
Te ex pluribus, ad hoc munus idoneis Principem præop-  
tarunt. Horum igitur ductu perspicacique judicio, juxta  
animi mei sensum, impulsus, ad eum potissimum hoc elab-  
orata Epitomes argumentum consultò direxi, qui pul-  
cherrimis illud quondam virtutum ornamenti, rerum à  
segestarum commemoratione, illustrare posset. Ut cœptus  
a melior honoris ab ysdem obineret, a quibus princi-  
pium sumpfit.

Mag.

## DEDICATIO.

Magnorum semper Principum cura ingens Historie  
per scriptores idoneos prosequenda fuit; quod illa, ut Tu-  
lius loquitur, lux sit temporum, magistra morum, me-  
moria vite: addo ego. politica disciplinae custos, Ecclesiastis  
et conservatrix, virtutum instructrix, decus & orna-  
mentum recip. Quae & benemeritos suis extollit laudibus,  
& iniquos justa reprehensione castigat: ut illorum emula-  
tione posteri ad bonum accendantur; horum detestatione  
malo arceantur. intelligentque parsibi a morte supersti-  
tis fame premium aut reprehensionem preparari.

Non ego hic veterum studia Principum Casarumque,  
longo adpersuadendum, ut possum, ordine inducam: Solius  
Maximiliani I. Casaris, hic apud Treviros familiariter  
aliquando versantis historiarum amorem curamque me-  
morabo. Pluribus ille diebus, ac temporum quoque inter-  
vallis, Treviris moratus, ad illius loci reconditas antiqui-  
tates, thesaurosque Ecclesiae, sub Richardo præcipue Ar-  
chiepiscopo, perlustrandos, operam omnem, studiumque  
convertit Idque alibi quidem per Europam, ut erat hujus  
veritatis cupidissimus, per doctissimos quoque legatorum,  
qui Monasteriorum, Principum, ac rerump. archiva ex-  
cuerent; sed Augusta Trevirorum per se metipsum. Tanta  
apud eum erat huius loci estimatio. Et vero impetra-  
vit, ut jam diu recondita è renebris in lucem producere-  
tur inconsutilis Christi toga: cuius non tantum spectator  
ipse esse volueret, sed ejusdem publicæ venerationi exponen-  
de autor in primis fuit. Quo facto admirandam populi  
late ad urbem affluentis religionem excitavit. Reversus  
subinde ad eandem urbem, præter diversa antiquitatum,  
& Treverice sanctitatis argumenta, Popponis, laudatissi-  
ma ex Austriacorum profapia memoria olim Archig-

## DEDICATIO.

piscopi, sepulchrum in vestibulo basilicæ S. Simeonis aperiri postulavit. Cujus post aliquot secula incorruptum corpus, non sine intimo pietatis sensu, contemplatus est.

Et quam sapienter: cum nulla homine dignior in rebus humanis cognitio, quam de hominibus orbi præpositis, eorumque factis queat suppeditari. ut se quisque aliosque exemplo Proavorum, tam ad malorum fugam, quam bonorum prosecutionem accendat, offensionibus illorum periculisque evadat cautior, successibus erigatur, firmetur virtutibus. Quot heroas ad fortia audendum Alexandri Magni Julique Cæsaris rebus gestis, eruditâ historiâ præpositis, inflammatos intelleximus! Carolus ille Magnus, & alter Quintus laudatissimi Imperatores, quot bellicarum rerum gloria studioq; ad res arduas, exaceruerunt! Illorum virtus aliorum calcar fuit. Nam vero ubi in historia Trevericæ tot sanctitate illustrium virorum, Principum atque Episcoporum gloria facinora virtutesque minimè vulgares adumbrantur, suisque ornantur laudibus, quis neget has esse scintillas inflammantis multorum animis idoneas? quod illi potuerunt (sibi quondam oggebat Augustinus) tu non poteris? quo tandem imitacionis ardore succensus, tam illustrem de se posteris historiæ materiem reliquit, nunquam satis laudanda optimorum Episcoporum idea. Qua me causa, præter aliorum hortamenta, impulere, ut Mathematicorum quorundam artificiosam, in parvo vitri orbe collectam amplissimi viridarij representationem secutus, latum Trevericorum Annalium campum, in breviorē hanc contraxerim Epitomen, quæ & ad multorum pervenire manus posset, & compendiosiori labore evolvi. Ita tamen ut præstantissima quaque hujus lineamenta historia oculis, ad estimatio-

## DEDICATIO.

nem imitationemque subjicerem; ne paucorum tantum  
nobilium scrinia, illustrioresque solum bibliothecas, hi  
Annales implerent, sed in his velut pugillaribus, ad vul-  
gus quoque eruditorum, & avidioris populi, ac religioso-  
rum hominum ( unde precipuus sperari fructus queat )  
manus transirent, patrioque nonnunquam sermone, in ar-  
ctioribus hisce tabulis legerentur. Cum enim ex omni ge-  
neris, etatis, sexusque ordine, illustria per hanc historiam  
exempla morum suppeditentur, fas erit ad omnium que-  
que oculos instructionemque transferri. Inveniet hic suos  
Wendalinos & Warneros juventus, Irminas, Anastasias,  
ac Gertrudes Chorus Virginum: Helenas, & Genovevas  
mulierum; Lubentios, Goares, Severos ordo Presbytero-  
rum; Eucharios, Agritios, Nicetiosque Episcoporum:  
Palmatios, Justinos, Crescentios gradus Senatorum: Thyr-  
sos, Florentios, Victores statio militum. Religiosorum por-  
rò hominum numerus sine numero exemplis sanctitatis  
pralucebit, ut tot tantisque praelatae adeò Majorum suo-  
rum imagines subtrahendae non fuerint, ne in historia ni-  
mium avari dispensatores fuisse videamur.

Hunc igitur laborem meum publicis emolumentis di-  
vinaque à me gloria amplificanda destinatum, si Tuo Celsissi-  
me Princeps, post Avunculum Carolum, patrocinio dig-  
natus fueris, egerisque, ut subditi exterique hisce stimulis  
ad virtutem religionemque studiose excolendam animen-  
tur, rem & Deo gratam, & patria utilem & tibi per quam  
honoris causa acturus es, intelligesque de vestra non minus  
fama posteros, quam vos de Majorum existimatione pro-  
paganda sollicitos vivere. Ita superiuerisque diu felici-  
serque regensibus adstante. Ita voyet speratque

Deyotissimus humillimusque Cliens J. MASEN.